

regine matris (sic) sue supplicare studeant, ut progenitorum suorum inherentes festigiis ordinemque suum prosequentes favoribus graciosis edictum prefatum de consueta benignitatis clemencia, quod ex huiusmodi caritas et unitas sui ordinis, nisi maiestas regia apponat oportuno remedium, et taliter enervetur, presertim quod per sancte memorie Clementem summum pontificem fuerit ordinatum, quod abbates ordinis sui regni, qui consuetis temporibus ad capitulum venire contempserint, eo ipso excommunicacionis sententia se ligatos agnoscant. . . .

1330 statuta sunt hec aput Cystercium circa tempus capituli generalis: in primis¹, cum ille callidus supplantator et calumpniator iniquus continuis conatibus elaboret, ut inconsutilem domini tunicam dividat et pacis testamentum subdola malignitate confringat, cuius fraudulentis conatibus divine respectus gracie sic obviare studuit hiis diebus, quod capitis et auctoris huius execrabilis nequicie animum nube erroris obductum videlicet Petri de Corbario, qui suadente maligno sacrosancte Romane ecclesie presumpsit usurpare dampnabiliter principatum, sic suo lumine serenavit, quod errorem suum congrua detestans penitudine, ad pedes sanctissimi patris domini nostri summi pontificis venire voluit et errorem suum corde contrito et humiliato lacrimabiliter condemnare curavit et de tam nefandis excessibus veniam humiliter postulando: eapropter capitulum generale ordinat et diffinit, quod quam cicius ad monasteria^a ordinis huiusmodi noticia devenerit, Te Deum laudamus per claustri circulum altissime decantetur, et missa de Sancto Spiritu in singulis ordinibus sollempniter celebretur.

a) Cod.: monasterium Correxī e textu Petri de Zittavia in Königs-
saaler Geschichtsquellen p. 480.

1) Siehe dazu Cap. XXVI. des zweiten Buches der Königs-
saaler Geschichtsquellen: De reconciliacione antipape et de alijs, wo die Meldung
des Generalkapitels hierüber an alle Klöster des Ordens in gleicher Weise
vermerkt wird.